B. N. C
FIRENZE
1043
19

1043 19

IACOBI SADOLETI ROMANI CARDINALIS

Epiſtola ad Senatum Populumq́ꝫ Geneuenſem, qua in obedientiam Romani Pontificis eos reducere conatur.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,

1539.

1043.19

IACOBVS SADOLETVS EPISCOPVS CARpentoracti, S. R. E. Tituli ſancti Calixti Presbyter Cardinalis, ſuis deſideratis fratribus Magiſtratui, Concilio, & Ciuibus Gebennenſibus.

CHARISSIMI in Chriſto fratres, pax uobis, & nobiſcum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia, matre omnium noſtrũ, atq; ueſtrum, amor, atq; cõcordia, à Deo patre omnipotente, & unico eius filio domino noſtro IESV CHRISTO, ſanctoq; ſimul ſpiritu, quæ eſt unitas in tribus perfecta: cui laus eſt, & imperium in omne ſeculorum æuum, Amen.

ARBITROR, fratres chariſsimi, aliquibus ueſtrum eſſe notum, me nunc degere Carpentoracti, quò ueni ab Nicea, ſummũ illuc Pontificem, ad pacificandos reges ex urbe Roma proficiſcẽtem, prius

proſecutus. Amo enim eccleſiam, & ciuitatē hanc, quam mihi ſpiritualem & ſponſam & patriā Deus eſſe uoluit: populoſq; hoſce meos uere paterna charitate complector: diſiungiq; me ab illis ualde ægre fero. Quòd ſi honos iſte Cardinalatus, qui mihi inopināti & inſcio delatus eſt, Romam me coëgerit redire (ut certe coget) quò in ea uocatione, in qua ſum uocatus, ibidem Deo ſeruiam: non is tamen meū animum atq; amorē ab his populis auocabit, quos habiturus ſum in medijs cordis mei penetralibus ſemper infixos. Igitur Carpentoracti cùm eſſem, audiremq; multa quotidie de uobis, quę partim quidem mihi dolorem, partim etiam ſpem nonnullam excitarent, ut nō diffiderē, nos & uos, qui fuimus quondam in recta erga Deū religione unanimes, eodem Deo benignius nos reſpiciente, ad eundem conſenſum cordiū eſſe redituros: Viſum eſt ſpiritui ſancto & mihi, ſic enim ſcripturą loquit̄: & certè quęcunq; integro & pio erga Deum geruntur animo, ex ſpiritu ſancto omnia ſunt. Viſum eſt mihi, inquā, ſcribere aliquid ad uos, & eam animi curam ac ſolicitudinem, quā pro uobis capio, literis uobis declarare: Non enim, chariſsimi, noua eſt hæc mea erga uos ſuſcepta & beneuolētia & uoluntas: Sed cū ab eo tēpore, quo ego Dei uolūtate Epiſcopus Carpētoractenſium factus ſum, annis ab hinc tribus ferè & uiginti, propter cōmercium, quod uobis cū meis his populis frequēs eſt, multa de uobis abſens, & de moribus

ueſtris cognouiſſem, amare iam tum cœpi nobilitatẽ urbis ueſtræ, ordinẽ formamq́ꝫ reipub. dignitatem ciuium, & illam in primis ueſtrã laudatam ac proba tã apud omnes, erga externos homines & aduenas, humanitatem. Et quoniam uicinitas quoqꝫ non exiguam ſæpe partem ad diligendum affert, ſicut in urbe, propinquæ domus: ſic in orbe finitimæ prouinciȩ amoris inter uicinos cõciliatrices ſunt: Non contigit ante hoc tempus ſcilicet, ut uos huius mei erga uos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod ſignum indiciumq́ꝫ haberetis: nõ enim opera uſpiam eguiſtis mea, quȩ uobis profecto paratiſsima fuiſſet: uerùm nulla ſeſe adhuc nobis obtulit occaſio. At nunc quidẽ certè non contingit ſolùm mihi, uerum etiam neceſſe eſt, ut quo in uos animo ſim affectus uobis demonſtrare adnitar, ſi fidẽ meam erga ſummum Deum, & Chriſtianã illam in proximũ charitatem retinẽre mihi cupio. Etenim poſtquã fuit ad aures meas delatum, homines quoſdam aſtutos, inimicos Chriſtianæ unitatis & pacis, id quod in alijs antea nonnullis fortiſsimæ gentis Heluetiorum oppidis & pagis iam feciſſent, item in uobis, & ciuitate ueſtra malæ diſcordiæ ſemina ieciſſe, Chriſtiq́ꝫ fidelem populum à uia patrum maiorumq́ꝫ ſuorum, & à perpetua catholicæ eccleſiæ auertiſſe ſententia, omniaq́ꝫ diſsidijs & ſeditionibus impleſſe: qui tamen mos proprius eorũ ſemper eſt, qui autoritate Eccleſiæ oppugnanda, nouas ſibi potentias & nouos ho-

nores quærunt: Teſtor Deum omnipotentem, eum ipſum, qui nunc intimis meis cogitationibus præſens adeſt, me & indoluiſſe grauiter, & duplici quadam miſericordia affectum fuiſſe: cùm ex una parte uiderer mihi audire gemitum plorantis matris noſtræ eccleſiæ, & lamentantis, quæ tot & tam dilectis filijs uno tempore eſſet orbata: ex altera, ueſtris, ò chariſsimi, incommodis & periculis commouerer. Sciebam enim ego, tales uiros nouatores ueterum & bene conſtitutarum rerum, tales turbas, talia diſſidia, non ſolùm animabus hominũ peſtifera, quod tamen malum omniũ maximum malorum eſt, ſed rebus etiã & priuatis & publicis pernicioſa exiſtere. Id quod uos quoq;, ipſo euentu rerũ edocti, cognoſcere potuiſtis. Quid ergo eſt? cùm meus erga uos amor, & mea in Deum pietas me cogat, ut tanquam frater fratribus, & amicus amicis, intimum omnem animi mei ſenſum uobis liberè exponam: uos plurimum rogatos uolo, ut bonitatẽ illam ueſtram, qua ſemper uti conſueuiſtis, mihi quoq; in præſentia, meis non ingrate accipiendis & legendis literis, prębeatis. Spero enim, ſi æquis modò mentibus hæc quæ ſcribo attendere uolueritis, uos ſi non conſilium meum, at animum certè rectum & ſimplicem, & ueſtræ in primis ſalutis cupientẽ, non minimum probaturos: neq; me quæ mea ſunt, ſed quæ ueſtra commoda atq; bona, quærere intellecturos. Neq; ego tamẽ ſpinoſas & ſubtiles ordiar diſputationes,

quam

quam philoſophiam beatus Paulus uocat, & fideles Chriſti ſemper monet,ne ſe per eam patiātur decipi, per quam iſti quidē uos circunduxerunt, cum inter imperitos obſcuram quandam iactarent ſcripturæ interpretationem,fraudemꝗ; & malitiam,præclaro illo quidē, ſed falſo atq; alieno doctrinæ & ſapiētiæ nomine honeſtarent. Ego ea proponam, quæ clara ſint atq; illuſtria, quæ nullā in ſe erroris latebram, nullum fraudis & fallaciæ habeant diuerticulum, cuiuſmodi tamē ſemper eſt ueritas:ea enim & in tenebris lucet, & nemini nō perſpicua eſt, & à doctis iuxtà atq; indoctis facilimè percipitur: præcipueq; in Chriſtiano genere doctrinæ, non ſyllogiſmis nec uerborū captionibus, ſed humilitate, ſed religione, ſed erga Deum obedientia eſt ſubnixa. Viuidus eſt enim ſermo Dei & efficax, & cōcidentior omni acuto utrinq; gladio, penetratq; ad iuncturas ſpiritus atq; animæ, & ad intima compaginū ac medullarū: neq; animos illaqueat impeditis argumētatiōibus, ſed cœleſti quodā interueniente cordis affectu, planum ſeſe & patentē mentibus noſtris offert, ut non tàm humana intus ad intelligendū ratio, quàm ipſe ad ſe qui nos uocat,operetur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectæ intelligentiæ ſupplex precor,ut & mihi ad dicendū, & uobis ad percipiendū, ea adiumenta ſuæ benignitatis præbeat, per quæ poſsimus iterum in uno corde erga ipſum & in una mente conſentire. Atq; ut inde initium ca-

piamus

piamus,unde maximè opportunum eſſe ducimus:
Ego fratres chariſsimi ſic exiſtimo,me & uos, & re-
liquos præterea omnes ,qui in Chriſto ſpem & fidē
ſuā poſuerunt,id ea una de cauſa ita facere & feciſſe,
quò ſalutem ſibi atq; animabus ſuis,non hanc mor-
talem & citò interituram, ſed illam ſempiternam &
immortalē quærerent, quæ in cœlo ſolum uerè ob-
tineri,in terris autem nullo modo poteſt. Eſt quidē
ita diſpartitū hoc officiū noſtrum, ut iacto primū fi-
dei fundamēto,hic deinde laboremus, quo illic qui-
eſcamus: in terra ſemen iaciamus, quod in cœlo po-
ſtea poſsimus demetere: & quibus hic in operibus,
quibus'ue in ſtudijs noſmetipſos exercuerimus, ſi-
miles deinde atq; dignos operum & laborū noſtro-
rum fructus in altera uita adipiſcamur. Cumq; uia
Chriſti ardua, & ratio degendæ nobis ſecundū eius
leges & præcepta uitæ perdifficilis ſit, propterea
quòd animos noſtros ab omni terrenarū iucūdita-
tum cōtagione auocare,& in eo ipſo uno figere,deſpi
cere præſentia bona quæ in manibus habemus, &
futura quæ non cernimus, appetere iubemur: tanti
eſt tamen unicuiq; noſtrum ſua & ſuæ animæ ſalus,
ut nihil recuſare aſperū, nihil laborioſum non pati,
animum inducamus, quo tandem aliquando, una
nobis ſpe ſalutis noſtræ propoſita, per ærumnas,
per multas ſolicitudines, præeunte ſemper actioni-
bus noſtris Dei clementia & miſericordia, ſtabilem
ſalutem illam & perpetuam conſequamur. Hac ſpe
Chriſtus

Chriſtus annunciator ueri boni, quondam ab orbe terrarum tanto conſenſu & ſtudio omniū acceptus fuit, hac ratione à nobis adoratur & colitur, uereq́ꝫ agnoſcitur Deus eſſe, & Dei ueri filius, quòd unus ipſe ab initio omnium ſeculorū animos hominum Deo omnipotenti, in quo ſolo uita eſt, immortuos, ac huius quidem mundi fallacibus & caducis blanditijs paulū temporis uiuentes, mox prorſus & ex omni ſui parte ad interitū condemnatos, à mortuis, hoc eſt, ab hoc maximè pnicioſo mortis genere excitauit, primusq́ꝫ ipſe ſemet, ſalutem & liberationem & doctrinā noſtrā eſſe uolēs, morte carnis accepta, & paulò pòſt uita non iam amplius mortali recuperata, ſuo exēplo nos inſtruxit & docuit, ut contraria longe ac prius conſueueramus uia, mundo huic & carni, hoc eſt, peccato mortui, Deo deinde uiueremus: ſpesq́ꝫ in eo noſtras bene ac beatè perpetuò uiuendi poneremus: quæ eſt propria, & uerè digna Dei omnipotentis gloria & maieſtate, noſtrorum omniū à mortuis ſuſcitatio, qua non unus aut alter homo, ſed cunctum hominum genus à tetra & funeſta animæ morte, ad ueram & cœleſtem eiuſdem animę uitam reuocatum eſt. Hanc huiuſmodi à mortuis ſuſcitationem ſibi proponens Paulus, maximumq́ꝫ in eam intuens diuinitatis Chriſti argumentum atq́ꝫ indicium: Separatus ego in Euangelium Dei (inquit) quod promiſerat per Prophetas in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, genito quidem ex ſemine

Dauid ſecundũ carnem, determinato autem & declarato filio Dei in potẽtia per ſpiritum ſanctitatis, hoc eſt, in potẽtia ſpirituali, quæ propria Dei potentia eſt, quòd non corpore Deus, ſed ſpiritu mirabilia ſua agit: imperare enim uentis, & cæcis uerbo lumen reddere, & mortuos excitare, non corporea, ſed ſpirituali, quæ eadem & diuina eſt, fiebat poteſtate. Declarabatur igitur Chriſtus dei filius ex hac ſpirituali potentia, quæ ſola diuina eſt. Et quod ſubiungit Paulus, Ex ſuſcitatione à mortuis: non tam ea quidem qua corpus Lazari, aut filium uiduæ, aut principis Synagogæ filiam (quanquàm iſta quoq; opera Dei erant) uerùm ea etiã ſuſcitatione magis, qua ſeipſum ſuſcitauit, aut certè qua Mariam Magdalenæ à demonijs ſeptem, Matthæum à teloneo, multos à terrena & moribunda uita, omne deniq; genus humanum à peccato & peccati morte, & à poteſtate huius mundi tenebrarum ad cœleſtem appetendam, atq; ſperandam & cognationẽ & ducẽ excitauit: demerſosq; in luto terræ hominum animos erexit ad cœlum, atq; extulit: atq; hoc maximũ Ieſu Chriſti erga nos beneficiũ, præcipuumq; in eo ipſo diuinitatis argumentũ idcirco & inſtitutum à Deo in miſsione filij ſui, & ab ipſo filio ſuſceptum, & ſuo nobis tempore per eum datum tributumq; eſt, ut omnibus & diuinis & humanis in uno Chriſto conſilijs, auxilijs, uirtutibus adiuti, nos animas Deo noſtras ſaluas ſiſtere poſſemus. tanta

eſt nob

eſt nobilitas,tam inſigne precium,tam grandis æſti matio huiuſce rei, quæ anima hominis eſt, ut quò ne ea perderetur,ſed & Deo ipſi & nobis lucrifieret, conturbatis penitus totius naturæ legibus, atq; ordine rerum permutato, & Deus deſcenderet in terras, ut fieret homo, & homo erigeretur in cœlum ut eſſet Deus. Credimus ergo in Chriſtum(ut dicebam)omnes, quo ſalutem animabus noſtris, id eſt, nobiſmetipſis uitam inueniamus: quo nullum optatum uehementius, nullum bonum interius nec magis coniunctum ac familiare nobis adeſſe poteſt: quantum enim ſeſe diligit unuſquiſq;, tantum ipſi ſalus chara eſt ſua, quæ ſi negligatur, abijciatur, quod tandem erit præmium quod poſsit par acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compenſationem pro anima ſua, inquit Dominus, aut quid proderit homini,uel ſi uniuerſum mundū lucretur, animæ autem ſuæ iacturā patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam chara, tam precioſa profeſsio, quæ noſtræ animæ ſalus unicuiq; noſtrum eſt, omni ui & conatu nobis retinenda eſt. Siquidem cætera bona omnia quæ appetimus,externa atq; aliena ſunt:hoc unum bonum conſeruatę animæ noſtrę,non ſolùm noſtrum,ſed uerè noſmetipſi iſtud ipſum bonum ſumus:quod qui neglexerit atq; amiſerit,is ne bonum quidem aliud habere ullum poterit, quo fruatur: quippe cum ipſe ille qui debuiſſet frui, iam ſe primum prodiderit. Aſſequimur porrò bonum hoc

noſtræ perpetuæ uniuerſæq́ ſalutis, fide in Deum ſola, & in Ieſum Chriſtum. Cum dico fide ſola, non ita intelligo, quemadmodum iſti nouarum rerum repertores intelligunt, ut ſecluſa charitate, & cæteris Chriſtianæ mentis officijs, ſolam in Deo credulitatem & fiduciã illam, qua perſuaſus ſum, in Chriſti cruce & ſanguine mea mihi delicta omnia eſſe ignota. Eſt hoc quidem etiam nobis neceſſariũ, primusq́ hic nobis patet ad Deum introitus: ſed is tamẽ non eſt ſatis. Mentem enim præterea afferamus oportet, pietatis plenam erga ſummũ Deum, cupidamq́ efficiendi quæcunque illi grata ſint, in quo præcipuè Spiritusſancti uis ineſt. Quæ mens etiam ſi interdum ad exteriora opera non progreditur, ipſa tamen ex ſeſe ad bene operandum iam intus parata eſt, promptumq́ gerit ſtudium, ut Deo in cunctis rebus obſequatur, qui uerus diuinæ iuſticiæ in nobis eſt habitus. Etenim quid aliud ſignificat, aut quam aliam nobis offert intelligentiã & notionem nomẽ hoc ipſum Iuſticiæ? ſi non reſpectus in eo, ad bona opera habeatur. Dicit enim ſcriptura, Quòd miſit Deus filium ſuum, ut faceret ſibi populũ acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, ad Titum, cap. 2. Et alio loco: Vt ædificemur (inquit) in Chriſto ad bona opera. Si ergo miſſus eſt Chriſtus, ut bene operantes, per eum accepti Deo ſimus, atq; ut in eo ædificemur ad bona opera, certè fides quæ in Deum noſtrum per Ieſum Chriſtum eſt, non ſolùm

ut con

ut confidamus in Chriſto, ſed bene in illo operan-tes, operari'ue inſtituentes, ut confidamus, imperat nobis ac præſcribit. Eſt enim amplum & plenum uocabulum Fides, nec ſolùm in ſe credulitatem & fiduciam continet, ſed ſpem etiam, & ſtudium obe-diendi Deo, & illam quæ in Chriſto maximè perſpi-cua nobis facta eſt, principem & dominam Chriſti-anarum omnium uirtutum charitatem, qua in cha-ritate propriè & peculiariter Spiritusſanctus ineſt, uel potius ipſe eſt charitas. Siquidem Deus charitas eſt. Quamobrē ſicuti ſine ſpirituſancto nihil noſtrū, neq; gratum, neq; acceptū Deo eſt: ita neq; eſſe ſine charitate poteſt. Cum ergo dicimus, fide ſola in De-um & Ieſum Chriſtum ſaluos nos eſſe poſſe, in hac ipſa fide charitatem uel in primis comprehenden-dam eſſe ducimus, quæ princeps & potiſsimum no-ſtræ ſalutis eſt cauſa.

Sed ut abeamus à diſputatione, & reuertamur eò unde ſumus digreſsi: Oſtendimus uobis fratres cha-riſsimi, uel oſtēdere potius conati ſumus (non enim æquat magnitudinē oratio noſtra) quanti momenti ſit, quantopere ad nos pertineat, noſtræ nobis ani-mæ eiusq; ſalutis procuratio, qua noſtra in anima noſmetipſi toti ſumus: bonumq; hoc propriè & unicū noſtrum eſt: cætera bona, aliena nobis omnia atq; diſiuncta, quibus ne ipſis quidem frui ullis poſſumus, ſi ex hoc principe & uerè noſtro excida-mus, pro quo ſibi tuendo & conſeruando animæ

 bono,

bono,tot quondam Chriſti glorioſiſsimi martyres, mortalem hanc uitam prompto animo poſuerunt, tot ſanctiſsimi doctores nocturnis diurniſq; ſudoribus ac uigilijs,quo nos in uiam rectam inducerēt, & conſtituerent, ſibi elaborandum eſſe ſtatuerunt, tota olim tam multa & tam graues ab impijs tyrannis & præſidibus gentium iniurias & calamitates pertulit eccleſia.Quę ideo omnia et à prępotēte Deo permiſſa, & à fortibus illis uiris, Chriſti uere cultoribus ſuſcepta, tolerata, decertataq; ſunt,ut per omne experimentorum & probationum genus, plurimis ueluti malleis excuſa,multo igni purgata,tantis ſanctorum ærumnis atq; laboribus conflata, conſolidata, expreſſa, & maximam apud Deum gratiam fidelitatis ſuæ Eccleſia obtineret, & ſummam apud homines autoritatē. Hæc nos Deo eccleſia in Chriſto regenerauit, hæc nos aluit,confirmauit,inſtruxit,quid nos ſentire,quid credere, in quo ſpem ponere, qua uia in cœlum tendere nos oporteat, ipſa eadem edocuit: Nos in hac communi eccleſiæ fide incedimus, nos illius leges & præcepta retinemus, & ſiquando fragilitate & incontinentia uicti ad peccandum prolabimur (quod utinam ſaltem rarò, ac non nimiū ſæpe in nobis accideret) in eadem tamen fide eccleſię exurgimus,quibuſq; illa expiationibus & pœnitentijs & ſatisfactionibus peccatū noſtrum ablui,& ad integritatem priſtinam, clemente erga nos ſemper & miſericorde Deo, nos reſtitui docet,

eas

eas expiandi & ſatisfaciendi rationes ſuſcipimus & adhibemus. Idq́ ita cum facimus, confidimus nos ueniæ & miſericordiæ locum apud Deum inuenire. Non enim præter ſententiam & autoritatem Eccleſiæ arrogamus nobis quicquam,non plus nos ſapere quàm oporteat ſapere:nobis ipſis perſuademus: non ſuperbiam afferimus ad contemnendum eccleſiæ decreta, non animi elationem: neque ingenium inter populos noſtrum, aut nouam quandam ſapientiam oſtentamus,ſed(de probis & rectis Chriſtianis loquor) in humilitate ingredimur atq; in obedientia:& ea quæ per maiorum noſtrorum ſanctiſsimorum hominum,ſapientiſsimorumq́ autoritates tradita nobis & conſtituta ſunt, tanquam per ſpiritum uerè ſanctũ dictata atq; præcepta, omni cum fide ſuſcipimus. Etenim nouimus & ſcimus quantum habeat uirium,quanti ſit momenti,quanti ponderis apud Deum humilitas,quæ una uirtus in primis Chriſtiana eſt,eamq́ ſemper maxime Chriſtus Dominus noſter & monitis, & præceptis, & factis atque operibus ſuis præ ſe tulit, paruuliſq; ſolis, id eſt,humilibus propoſitum dixit eſſe regnum cœlorum. Non enim refert, corpore'ne parui an magni ſimus: ſed illud plurimũ refert,utrum animo ſimus humili,an'ne ſuperbo: ſuperbia quæ angelos deiecit de cœlo, hominibus eadem iter in cœlum impedit. Vnde cœleſte animal angelus, propter ſuperbiam expulſum eſt, eò terrenum animal homo propter

humil

humilitatem extollitur,ut appareat planè, conſtitu-
tum eſſe nobis in humilitate potiſsimùm, & adiu-
mentum perpetuæ ſalutis noſtræ, & huius beatæ ac
iucundæ ſpei, qua ad cœlum tendimus, firmamen-
tum. Quæ cùm ita ſint, chariſsimi fratres, cùm no-
ſtra ſalus nobis,cùm uera uita,cùm æterna felicitas,
cùm noſmetipſi deniq; nobis ipſis in primis & max
ime cæterarũ rerum omnium chari eſſe debeamus,
cùm ſi noſmetipſos perdiderimus, nihil uſpiam no-
ſtrum,id eſt,quod iuuet, aut quod pertineat ad nos,
ſimus amplius reperturi, cùm nullum grauius da-
mnum,nullũ exitioſius malum,nulla acerbior cala-
mitas amiſsione & iactura animarũ noſtrarum ac-
cidere nobis poſsit: quanto obſecro ſtudio,qua ani-
mi cura & ſolicitudine prouidere debemus, ne in
hoc tantum periculum ſalus & uita noſtra conijcia-
tur? Dabitis uos profectò mihi & concedetis, nihil
pnicioſius neq; funeſtũ magis euenire nobis poſſe,
q̃ amiſsionẽ animæ unicuiq; ſuæ: Dabitis ergo etiã
illud opinor, nihil eſſe à nobis maiore diligentia &
ſtudio, quàm ne id accidat, præcauendum. Cuius
enim mali ſors, ſi ea in nos incidat, omnium malo-
rum eſt deterrima, eiuſdem mali periculũ maximè
omnium nobis eſſe formidoloſum debet. etenim
quantum eſt in malo moles,tantus in periculo mali,
neceſſe eſt ut ſit timor. Atq; ut qui horrent & metu-
unt in pelagus pręcipitari, hi ne ad præruptam qui-
dem & imminentẽ pelago rupem audent accedere:
Sic

Sic qui terribile illud Dei & damnatorum iudicium perhorreſcũt, ab eo fugiũt in primis periculo, quod ſempiternæ illi miſeriæ maximè finitimum, proximeꝗ adiunctum eſt. Neꝗ ego hoc in hoc dico nũc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos, quoad hãc uiuimus uitam, in periculo ſemper eſſe: ſumus enim planè, & aberramus, & offendimus, & labimur, interdũ omnes, ſæpius, rarius, prout cuiꝗ ſua & ex Deo inſita ad ſe cohibendum uirtus ineſt: Veruntamen peccata cætera, præſertim quæ non iudicio ſtabili, ſed per fragilitatẽ admiſſa, patrataꝗ ſunt, ad ſummi Dei miſericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimeſcendum, quo prauè colitur Deus, qui rectiſsimè debet coli, & quo falſa de illo ſentiũtur, qui eſt ſumma ſolus ueritas: Illud, illud inquam eſt peccatũ, quod non ſolùm in proximo periculo æterni mali nos conſtituit, ſed ſpem propè etiam & conatum declinandi & fugiendi eiuſmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis noſtris in peccatis tanquam in uitæ fluctibus illa tamen anchora noſtræ nauis ſalua eſt, quæ nos prohibet à ſcopulo & naufragio, quòd cogitationes interdum noſtras in Deum coniicientes, & ſtimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis ſuſpiriis, & confeſsione iniquitatis noſtræ illius miſericordiam imploramus, atque ipſe ut bonitatis & clementiæ plenus eſt, flectitur ſtatim ad ignoſcendum, moreꝗ pij patris filiorum ſuorum

preces placatus admittit. At in hoc truci horribiliq́ peccato præpoſteræ falſæq́ religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipuè periculum, fratres chariſsimi, ſi ſalui eſſe uolumus, accuratiſsimè & ſtudioſiſsimè uitandū nobis eſt. Poteſt hic dici, cùm uel corruptæ integræ religionis uaria ſint iudicia, & diuerſæ hominum, in hoc præſertim tempore, ſentētiæ, aliusq́ hoc modo, illo alius interpretetur: ſatis uideri debere, ſi unuſquiſque ad id quod primum occurrerit credendum, ſincero animo accedat, ſuumq́ iudicium ſubmittat hominum ſe doctiorum & peritiorum iudicijs. Fateor, fratres chariſsimi, has eſſe uoces hominum ſimpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora ſunt: quos qui detorquent & abſtrahunt à uia recta, maius illi multò in ſe peccatum habent: nam peritis quidem & callidis, oratio iſta non conuenit. Sed ut nunc temporis cauſa confitear, omnibus iſta & doctis & indoctis incerta eſſe, quod tamen eſt ſecus, habet enim catholica eccleſia certam regulam, qua à ueris falſa diſcernat. Verum eſto, concedamus dubia eſſe: non'ne quoniam de periculo noſtræ ſalutis agitur, quoniam animas noſtras, hoc eſt, noſmetipſos plurimi facimus: nec nunc in diſcrimen aut fortunarum, aut ualetudinis, aut etiā corporis & mortalis huius uitæ uenimus, quorum omnium iacturam uiri fortes pro Chriſto & pro ſua anima conſtanter ſæpe pertulerunt; ſed de nobis id

decernitur

decernitur, utrum ſempiterne miſerrimi, an beatiſſimi ſimus uicturi: circumſpicere, conſiderare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo nos conſtituamus in loco? De re loquor ueluti dubia, quæ tamen non eſt: ut ibi inquam conſiſtamus, ubi minus multo nobis timoris atque periculi, longeq́ plus ſpei & alacritatis oſtenditur: nemo hoc credo negaturus mihi eſt, quin in re ancipiti & dubia, in qua præſertim ſumma agitur uitæ & ſalutis noſtræ, id potius capere & ſequi conſilij debeamus, quod ratio nobis ſuaſerit, quàm quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur utra in parte, & in utra ſecta maius ſit, à Deo longius nos remouendi, & ad perpetuum exitium propius nos admouendi periculum. Quam rem ita agam & proponam, quaſi habeam uos adhuc deliberantes, necdum animi certos, quorum potius aut uoluntatibus obſequi, aut conſilijs credere debeatis. Diſceptatio eſt, utrum ueſtræ ſaluti magis expediat, gratiusq́ Deo uos facturos exiſtimetis, ſi ea credideritis, eritisq́ ſequuti, quæ eccleſia catholica cunctum per orbem terrarum annos iam mille & quingentos amplius, aut ſi claram certamq́ rerum geſtarum memoriam & notitiam quærimus, annos iam amplius mille & trecētos magno conſenſu comprobat: an hæc quæ uafri homines, atque ut ſibi ipſi uidentur acuti, aduerſus tot ſeculorum uſum & contra perpetuam eccleſiæ autoritatem, his annis quinq́ & uiginti innouauerunt? qui

certè ipſi catholica non ſunt eccleſia: Eſt enim catholica eccleſia (ut breuiter definiamus) quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Chriſto una & conſentiens, uno Chriſti ſpiritu ubique & ſemper, directa eſt, in qua nullum poteſt diſsidium exiſtere: omnis enim ea inter ſe connexa & conſpirans eſt: quòd ſi quid accidat diſſenſionis & diſsidij, magnum quidem corpus eccleſiæ idem permanet: fit autem apoſtema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum ſpiritu diuulſa ſecernitur, nec de ſubſtantia ulterius corporis eccleſiaſtici eſt. Non ego hic deueniam ad ſingulas rerum diſputationes: neque aures ueſtras copia uerborum atque argumentorum onerabo: Tacebitur à me nunc de Euchariſtia, in qua nos uerißimũ Chriſti corpus adoramus: iſti ſanè parum gnari quemadmodum in unoquoq; genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat, ex alienis & longe diuerſis dialecticæ inaniſq; philoſophiæ rationibus, Dominum ipſum uniuerſi, & diuinam in eo ſpiritualemq; potentiam, quæ prorſus libera & infinita eſt, in angulos corporeæ naturæ, quæ ſuis cancellis circunſcripta eſt, conantur includere. Non loquar de confeßione ad ſacerdotem peccatorum, in qua, quod maximum eſt noſtræ ſalutis fundamentum, uera Chriſtiana humilitas & à ſcriptura demonſtrata & ab eccleſia præcepta ac cõſtituta eſt, quam iſti humilitatem, & per calumnias eludere, & per

per arrogantiam abijcere ſtuduerunt. Silebo de precibus aut ſanctorum pro nobis apud Deum, aut noſtris, pro mortuis, quas ijdem iſti cum aſpernantur & irrident, easq́ nullius penitus eſſe momenti dicunt, quid tandem ſibi uolunt? num hominum animas arbitrantur unà cum corporibus ſuis interire? & nimirum id uidentur innuere. quod agunt etiam manifeſtius, cum libertatem ſibi uitæ ab omnibus eccleſiaſticis ſolutam legibus, & licentia cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis anima ſit, edamus & bibamus, inquit Apoſtolus, paulò poſt enim moriemur. Sin autem ſit immortalis (ut certe eſt) unde quæſo tantum, & tam repentè factum eſt corporis morte diſsidium? ut & uiuentium & mortuorum animę inter ſe nihil congruant, nihil communicent, omnis ſint cognationis nobiſcum, & communis humanæ ſocietatis oblitæ? cùm præſertim charitas, quæ præcipuum ſpiritus ſancti in Chriſtiano genere eſt donum, quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuoſa eſt, & in eo in quo ineſt nunquam inutiliter conſiſtit, ſalua ſemper & efficax in utraq; uita permaneat. Sed ut relinquam controuerſias, easq́ ad ſua tempora reſeruem: excutiamus id quod prius eſt propoſitum, ut uideatur & quæratur, quid nobis magis conducat, factuq́ rectius ſit, quid ad gratiam ſummi Dei obtinendam magis ſit accommodatum, ſentire'ne cum uniuerſa eccleſia, eiusq́ decretis, & legibus, & ſacramentis

cum fide obtemperare, an aſſentiri hominibus diſſidia, & res nouas quærentibus.

Hic locus eſt, chariſsimi fratres, hoc illud eſt biuium, quod diuerſa duo in itinera ſcinditur, quorum iter alterum ad uitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc diſcrimine & delectu agitur ſalus animæ cuiq; ſuæ, aguntur pignora futuræ uitæ, utrum uidelicet nos æternæ felicitatis, an miſeriæ infinitæ ſimus futuri compotes. Quid ergo dicemus? Fingamus hic duos, qui ex utroq; genere, hoc eſt, utroque ex itinere, ante illud terribile ſummi iudicis tribunal ſint conſtituti, quorum cauſa cognoſcatur & expendatur: quò uel damnatoria in eos ſententia uel ſalutaris iure ferri poſsit. Interrogabuntur, Fuerint'ne Chriſtiani. Fuiſſe ſe ambo dicent. Recte'ne crediderint in Chriſtum. Vtrique pariter reſpondebunt, Næ. Quid autem crediderint, aut quomodo crediderint cùm explorabuntur: Nam hæc de fide recta cognitio, illam quæ eſt de uita & moribus antecedit. Cùm igitur ab eis exigetur rectæ fidei confeſsio, dicet ille quidem, qui in catholicæ Eccleſiæ gremio & diſciplina fuerit educatus: Ego cùm inſtitutus eſſem à parentibus meis, qui & ipſi à patribus ſuis & auis acceperant, ut cunctis in rebus catholicæ Eccleſiæ eſſem obſequens, eiuſq; leges, & monita & decreta, tanquam à te ipſo Domine Deus lata, obſeruarem & colerem; cumq; omnes eos ferè, qui in Chriſtiano nomine

nomine cenſerentur, quiq; & nobiſcum, & ante nos, longè & latè per orbem terrarum tua ſigna eſſent ſecuti, in eadem ſententia eſſe & fuiſſe animaduerterem, ut cuncti matrem fidei ſuæ hanc ipſam eccleſiam agnoſcerent, & uenerarentur, & ab eius præceptis conſtitutiſq; diſcedere ſacrilegij inſtar putarent, in hac eadem fide, quam catholica ſeruat docetq; eccleſia, probare tibi me ſtudui: & quanquam uenerant homines noui, ſcripturas multum in ore & manibus habentes, qui noua quædam commouere, uetera labefactare, eccleſiam redarguere, obedientiam, quam illi nos omnes præbebamus, eripere nobis & extorquere conarentur, in eo tamen conſtanter manere uolui, quod à patribus meis, & à cõmuni ſanctiſsimorũ doctiſsimorumq; patrum conſenſu iam inde antiquitus in eccleſia fuiſſet & obſeruatum & traditum: etſi multorum quidem præſidum hominumq; eccleſiaſticorum præſentes mores eſſent ij, qui mihi ſtomachum mouere poſſent. quibus tamẽ non ſum à ſententia deductus: ita enim conſtitui, eorum præceptis, quæ certe ſancta erant, obtemperare me debere (ſicuti tu Deus in tuo Euãgelio præceperas) uitæ autem & geſtorum te unum iudicem eſſe oportere: præſertim cùm ego quoque, his tot peccatis quæ in hac mea fronte en tibi manifeſta ſunt, commaculatus atque infectus, aliorum dignus iudex eſſe non poſſem, pro quibus nunc adſto ante tribunal tuum, non ſeueritatem tuam cle-

mentiſsi

mentiſsime Deus, ſed miſericordiam potius & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iſte cauſam ſuam. Citabitur alter: Comparebit. Imperabitur illi, ut dicat. Hunc habebit exorſum orationis ſuæ (fingatur enim de illis unus eſſe, qui ſunt aut fuerunt diſſenſionum autores: melius enim credo tutabitur iſte cauſam ſuam, qui ſe doctorem cæteris ad deficiendum ab eccleſia fuerit profeſſus) Mihi, inquiet, ò ſumme Deus intuenti mores hominum eccleſiaſticorum ubique ferè corruptos, & ſacerdotes nihilominus religionis gratia, in honore omnibus eſſe cernenti, opesq́ illorum iniquo animo ferenti, iuſta (ut puto) iracundia animum inflammauit, ut me illis aduerſarium conſtituerem: cumq́ reſpicerem meipſum, qui tot annos operam literis & theologiæ dediſſem, non tamen habere eum in eccleſia locum, quem labores mei meriti eſſent, multos autē indignos ad honores & ſacerdotia extolli perſpicerem, ad eos (fateor) inſectandos me contuli, quos tibi quoque ipſi minime placere & ſatisfacere ſum ratus: & quoniam eorum potentiam reuellere non poteram, niſi obtererem prius leges ab eccleſia latas, populi magnam partem induxi, ut ea eccleſiæ iura contemneret, quæ diu antè rata inuiolataq́ fuiſſent: Quæ ſi in concilijs uniuerſalibus fuiſſent decreta, conciliorum autoritati non concedendum eſſe dixi: Si inſtituta à priſcis patribus & doctoribus, ueteres patres ut imperitos & bonæ expertes intelli

intelligentiæ ſum criminatus: Si per Romanos Pontifices, eos ſibi aſtruxiſſe tyrannidem, & falſo nomine uicarios ſe Chriſti dicere affirmaui: omnibus denique modis contendi, ut hoc tyrannicum eccleſiæ iugum, quæ cibos interdum prohibet, quæ dies ſeruat, quæ confiteri nos uult peccata noſtra ſacerdotibus, quæ uota impleri iubet, quæ homines in te Chriſte liberos tot ſeruitutis uinculis alligat, à nobis cuncti qui te colimus excuteremus, ſolamq; fidem in te, non etiam bona opera, quæ maxime extolluntur & prædicantur in eccleſia, iuſtitiam nobis & ſalutem parere confideremus, cùm tu præſertim pœnam pro nobis pependiſſes, tuoq; ſancto ſanguine cunctorum delicta & ſcelera deleuiſſes, ut nos hac una fide in te freti, liberius deinde agere quæcunque nobis libuiſſet, poſſemus. Scripturas etiam ingenioſius ſum perſcrutatus quàm ueteres illi, ac tum quidem maximè, cùm aliquid quærebam in eis, quod contra iſtos detorquere poſſem: qua etiam doctrinæ & ingenij opinione, apud populos famam & exiſtimationem nactus, totam quidem eccleſiæ autoritatem euertere non potui, magnarum tamen ſeditionum in ea, & ſciſsionum fui autor. Hæc ubi iſte dixerit, & uerè dixerit, neque enim mentiendi apud illum cœleſtem iudicem eſt locus, tametſi multa idem de ambitione ſua, de auaricia, de ſtudio popularis gloriæ, de fraudibus & malicijs inteſtinis, quæ intus ipſe agnoſcat, in ſeſe reticuerit, quæ tamē

illi, prima ipſa in fronte apparebũt inſcripta, Quod tandem, ô Gebennenſes fratres mei, quos ego in Chriſto, & in Chriſti eccleſia unanimes mecum habere opto, non ſolùm de his, ſed comitibus aſſectatoribusq́ eorum, iudiciũ fore exiſtimatis? Non'ne hic certè qui catholicam eccleſiam fuerit ſecutus, nullum ſuum erratum in hac re afferet? Primum quia non errat, neque adeo errare poteſt eccleſia, cuius illa publica & uniuerſalia decreta atque conſilia Spiritus ſanctus aſsiduè gubernat. Deinde etiam ſi errasſet ea, aut erraret, quod tamen creditu & memoratu eſt nefas, nullus huic quidem ſuus exprobraretur error, qui ſincero animo, & propter Deum humili, maiorum fidem ſuorum & autoritatem eſſet proſecutus. At iſte alter ſuo innitens capite, neminem habens ueterum ſanctorum patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus Epiſcopis conuentuum, quem honore dignum putet, cui inducat animum cedere & obtemperare, omnia ſibi arrogans, ad obtrectandum magis, quàm ad diſcendum, docẽdum'ue paratus, cùm à communi eccleſia deſciſcit, quem reſpicit portum fortunarum ſuarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum aduocatis fretus eſt? ut non grauiter debeat metuere, eiectum ſe iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, hoc eſt, ubi miſerias ſuas perpetuò defleturus, & contra ſemetipſum dentibus increpiturus ſit, quòd cum poſſet, ſi id ſtuduiſſet, illã acer-

biſsimam

biſsimam uitare calamitatem, id facere neglexiſſet. Quod porrò infauſti & incommodi comites traducendæ uitę ſint mœror & furor, unus per ſeſe quiſq; ſatis poteſt intelligere, præſertim cùm illiuſmodi mali atque damni nullus futurus unquam finis ſit, nulla determinatio, nunquam ibi plorare, nũquam deſinatur iraſci. Atqui ſi reliqua iſtorum omnia aliquo tamen pacto perferri & tolerari poſſent, hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi uidetur ne ad ignoſcẽdum quidem illis, locum ullum ueniæ & miſericordiæ apud Deum dari poſſe) quòd ſponſam hi Chriſti unicam diſcerpere ſunt conati, quòd tunicam illam Domini quam prophani milites diuidere noluerunt, iſti auſi ſunt non diuidere ſolum, ſed lacerare? Quot enim iam, iſtis initium facientibus, ſectæ Eccleſiam diſciderunt, neque cum iſtis congruẽtes, & ipſæ inter ſe diſcordes? quod manifeſtum eſſe falſitatis indicium omnis doctrina confirmat. Veritas enim unica ſemper eſt, uaria autem & multiformis eſt falſitas: & ſimplex quod rectum, multifidum quod obliquum. Sed huiuſmodi ſciſsionem, huiuſmodi ſanctæ eccleſiæ dilaniationem, poteſt'ne quiſquam Chriſtum agnoſcens & confitens, & cuius aliquando menti atq; cordi ſpiritus ſanctus illuxerit, non intelligere, Sathanæ, & non Dei propriam operationem eſſe? Quid imperat nobis Deus? quid pręcipit Chriſtus? Nempe ut unũ omnes in ipſo ſimus. Quo datum eſt nobis è cœlo atq; Deo illud ſingula-

re & præcellens charitatis donum, quod Chriſtiano duntaxat generi, non cæteris gentibus diuinitus infuſum eſt? Non'ne ut omnes uno corde & ore Dominum confiteamur? An arbitrantur iſti Chriſtianam religionē aliud omnino eſſe quàm pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus quid ipſemet loquatur in Ioanne Dominus, patrem ſuum pro diſcipulis deprecans, Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos: non pro his autem rogo ſolùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per uerbum eorū in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quòd tu me miſiſti: & ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus, ego in eis & tu in me, ut ſint perfecti in unum.

Videtis fratres chariſsimi & in clara Euangelij luce diſcernitis, quid ſit uerè eſſe Chriſtianum, cùm fides in Deum noſtra, cum Dei omnipotētis gloria, quę & ipſius apud nos, & noſtra apud eum eſſe poſſit, in hac ſola inter nos unitate conſiſtat, cùm hoc unū requirat & poſtulet à patre de nobis Chriſtus, idq; ſuos in hoc labores, ſuas ærumnas, ſuā ſuſceptā pro nobis humani corporis fragilitatem, ſuam crucem, ſuam mortem, ſic fructum allaturam ſibi putet, & ad gloriam patris, quam maxime expetebat, & ad ſalutem noſtram, pro qua erat moriturus, ſi nos inter nos, & in ipſo fuerimus unum. Atqui hoc ſemper

per laborat,hoc adnititur eccleſia catholica,ut ſit cōſenſio nobis,& in eodem ſpiritu unitas:quóſque homines aut ſpatia diſiungunt terrarum, aut interualla temporum, quòd coire in unum corpus omnes non poſſunt, eos unus tamen ſpiritus, qui ubique idem ſemper eſt,& foueat & regat:cui quidem eccleſiæ catholicæ & ſpiritui ſancto, hi ſe aduerſarios è regione profitentur,qui unitatem frangere, qui uarios ſpiritus immittere, qui conſenſionem ſoluere, qui tollere concordiam de Chriſtiana religione conantur,tanta cupiditate, tanto ſtudio, tot machinationibus & artibus, ut eorum ſolicitudinem & anxietatem nulla ſatis dignè exprimere oratio poſsit. In quos ego quidem id non imprecabor, ut diſperdat Dominus uniuerſa labia doloſa,& linguam magniloquam: neque item,ut addat iniquitatem ſuper eorum iniquitatem: Sed ut conuertat eos, & ad ſpiritum bonum deducat, dominum Deum meū ſupplex rogabo,ſicuti rogo. Voſq; & oro, & hortor fratres mei Gebennenſes, ut diſcuſsis aliquando ab oculis mentis ueſtræ erroris nebulis,& patefacta luce,ad cœlum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam ueſtram, ſi in unitate eccleſiæ manſeritis,propoſuit uobis Deus, redire in concordiam nobiſcum, & fidele obſequium præſtare matri noſtræ eccleſiæ,colereq; Deum in uno nobiſcum ſpiritu iam uelitis; nec ſi mores noſtri uobis fortaſſe di-

ſplicent, ſi quorundam culpa ſplendor ille eccleſiæ, qui perpetuus & incontaminatus eſſe debuit, aliquando fit obtuſior, ueſtros id animos moueat, aut in diuerſam & contrariam trahat partem, odiſſe forſitan perſonas noſtras poteſtis (ſi id ab Euangelio conceditur) doctrinam certe & fidem habere odio non debetis: ſcriptum eſt enim, Quæ dicunt facite. Necꝙ uerò nos aliud dicimus, quàm quòd noſtram ueſtræ ſalutis cupiditatem uobis indicamus. Quæ ſi à uobis Gebennenſes chariſsimi in bonam partem fuerit accepta: ſi me amantiſsimum ueſtri gratis animis audiueritis, nō pœnitebit uos profecto & apud Deum recuperatæ priſtinæ gratiæ ueſtræ, & apud homines laudis. Ego quæ meæ partes ſunt, & quod beneuolentia erga uos mea mihi pręſcribit, aſsiduus ero ad Deum pro uobis deprecator, meo quidem ipſe indignus uitio: ſed forſitan charitas efficiet me dignum. Tum autem quicquid ualeo, poſſumꝗ, etſi id quoque paruum admodum eſt, ſed ſiquid eſt in me, ingenij, conſilij, autoritatis, diligentiæ, id ita uobis totum & ueſtris opportunitatibus defero, ut pro magno meo commodo habiturus ſim, ſi uos aliquod ex me commodum fructumꝗ meæ operæ & laboris & in diuinis rebus & in humanis percipere potueritis. Extremum eſt, ut uos orem, ut eum nuntium quem ad uos cum his literis miſi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quã & humanitas ueſtra,

& ius

& ius gentium, & in primis Chriſtiana manſuetudo poſtulat & requirit: quod uobis honeſtum, mihi autem uehementer futurum eſt gratum. Deus uos dirigat, & propitius tueatur, fratres chariſſimi.

Carpentoracti XV. Calend. Aprilis, M. D. XXXIX.

1043. 19
Z

99 857381

Hei 92